



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

224. An religiosi peccent mortaliter assistendo agitationibus taurerum? Et an in ista porhibitione comprehendantur religiosi sacris ordinibus non initiati, vel reli giosi laisi? Et quid de Novitiis, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. CCXXIV.

An Religiosi peccent mortaliter, assistendo agitationibus taurorum?

Et an in ista prohibitione comprehendantur Religiosi Sacris Ordinibus non initiati, vel Religiosi laici?

Et quid de Nouitiis, & Monialibus, & Equitibus Militarium Ordinum etiam si minoribus Ordinibus fuerint insigniti?

Et an Canonici Regulares, & Fratres Clerici Ordinum Militarium sine dubio comprehendantur, quia vere sunt Regulares?

Et an saltem peccent venialiter Clerici Sacerdotes, & beneficiati assistentes agitationibus taurorum?

Et an sit peccatum mortale tauros in circo, vel in foro agitare festinis diebus?

Et quid, si extra forum, vel circum agitatio fiat per plateas, & calles Civitatis finibus longis pedes, vel cornua tauri ligati? Ex part. 1. 1. tr. 4. & Misc. 4. Refol. 1. 1.

§. 1. **N**egatiue respondet; sed tantum peccare venialiter sustinet Thomas Hurtad. var. tom. 2. tract. 8. cap. 7. resol. 78. sect. 2. num. 716. & Remigius in pract. confess. 5. cap. 7. §. 3. n. 4. vbi sic ait: *Es muy prouable que los Clerigos, y Religiosos no peccan mortalmente en ver lidiar los toros, por que parece leue la materia del precepto, como la de otros muchos que se hallan en el Derecho, que no porque los Pontifices los han puesto con pena de excomunion, luego se colige que su materia es graue, mientras no huuiere temeridad en su transgression, contumacia, o menosprecio* quando non adest temeritas, contumacia, vel contemptus quantum ex præcepto iuris positum pendet, non inducit peccatum mortale, quamuis aliqua præcipiantur, sub pena excommunicationis. Ita Remigius, cui adde aliquos, quos tacito nomine adducit Villalobos in summ. tom. 2. tr. 12. diff. 20. n. 13. in fine, quos etiam adducit, nec improbat Machados tom. 2. lib. 5. part. 2. tr. 2. doctm. 9. num. 2.

2. Imò sententiæ Hurtadi expressè videtur adhærere Pellizarius in Man. Reg. 10. 2. tr. 6. c. 14. q. 24. n. 27. vbi sic asserit; Rodriguez addit; Regulares etiam secluse scandalo assistentes agitationi taurorum, aliarumque ferarum bestiarum peccare; quod tamen mihi non omnino placet; cum iuxta aliâ dicta non sit improbabile secundum aliquos DD. ex sola excommunicatione maiori ferenda non certo argui prohibitionem, quæ sit sub ea, obligare sub peccato mortali, nisi aliunde id colligatur, quod certè non videtur colligi in præsentî casu, quo non sublit periculum scandali; vt facillè constabit consideranti.

3. Sed ego profus affirmatiuam sententiam sustinendam esse puto, quam nominatim, & acriter contra Hurtadum tenet nouissimè Magister Gallego Dominicanus in Bull. Cruc. capit. 14. claus. 14. dub. 182. & capit. 9. claus. 9. part. 2. dub. 128. vbi citat, Lopez, Gutierrez, Palacium, Soriam, Suarez, Valquez, Salas, Trolench, Rodriguez, & Villalobos, quibus adde doctissimum Episcopum Segobiensem Dominicanum Franciscum Araujo in part. 2. D. Th.

Supr. his in tom. 6. tr. 1. Resol. 4. §. 1. post medi. a vers. Hanc sententiâ, & in §. vit. Sed lege eius doctrinam per

quest. 97. disput. 3. sect. 3. diff. 3. fol. 661. vbi sic ait: Hinc colligo primò, peccasse mortaliter olim quoscumque Clericos Sacris initiatos, beneficiarios, & Religiosos assistentes agitationi taurorum contra prohibitionem Pij V. & Gregorij XIII. & modo peccare mortaliter Religiosos, qui tali agitationi assistunt contra prohibitionem Clementis VIII. qui dictam legem pœnalem, & prohibitionem præ-

decessorum Pontificum ad solos Religiosos restringi, intelligi etiam secluse scandalo, & contemptu.

Hoc corollarium probant Ludouicus Lopez 2. part. 2. instructory cap. 31. Gutierrez tom. 2. quest. 10. Coninch. cap. 7. Palacios in 3. dist. 37. q. 7. Lorca hic d. 32. diff. §. secunda regula, Svarius disp. 18. sect. 3. tom. citat. & Salas sect. 9. num. 58.

4. Primò, quia habet pœnam grauem arguentem in transgressionem lethale peccatum, scilicet excommunicationem maiorem ferendam, fit enim huiusmodi prohibitio sub pœna excommunicationis absolute, quæ in iure supponit pro maiori excommunicatione eo quod analogum per se sumptum stat pro famulorij, dum autem non additur verbum aliquod significans latam, aut ipso iure incurrendam, supponit pro ferenda.

5. Secundò, quia lex humana in materia graui non minus obligat, secluse scandalo aut contemptu, quam lex diuina, hæc autem obligat ad mortale, ergo & illa. Minor est nota, & maior patet, quia auctoritas huius legislatoris etiam est à Deo de qua propheta Paulus dixit, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, & Christus in Euangelio, *Qui vos spernit, me spernit*.

6. Tertio probatur, quia semper iudicatur obligatio sub mortali, quoties à iure Canonico, vel à iure Ecclesiastico aliquid præcipitur sub excommunicatione absolute, & simpliciter, nam intelligitur de maiori, quæ incurri non potest nisi propter peccatum mortale ex cap. 1. & cap. Romana, de sententia excommunicationis in 6. & cap. nemo 1. 1. quest. 3. & cap. corripiantur 34. quest. 3. delumpto ex Augustino quest. 39. in Deuter. & lib. 2. de Ciuit. cap. 11. dicente: Hoc agit nunc excommunicatio, quod in veteri testamento interfecit; vnde Theologi citati suam regulam delumperunt; ergo cum dicta prohibitio assistentiæ agitationi taurorum, fit sub excommunicationis pœna, absolute, ac proinde maioris, quæ grauissima est, & aliâs debet proportionali culpa, vt docet Augustin. de corrept. & gratia cap. 11. & quia nullus prudens rector aliquando pro leui culpa serio minatur mortem, qualis est excommunicatio etiam comminata, seu ferenda, consequens est, eam obligare sub culpa mortali. Hucusque Araujo.

Ex quibus patet responso ad argumenta, quæ pro sua sententiâ firmanda adducit Hurtadus loco citato.

7. Et post hæc scripta inuenio nostram sententiam docere etiam Iosephum Roccaful, in practi Theol. moral. tom. 2. part. 3. n. 5. pr. Ouale. cap. 6. num. 13. fol. 91. sic itaque asserit, tres sunt Bullæ de hac re; Prima Pij V. Secunda Gregorij XIII. & Tertia Clementis VIII. ex quibus quid modo tenendum sit, ne omnes referre cogamur, breuiter dicimus; Pim d. Clementem VIII. in suo motu proprio anno 1596. 4. die Ianuarij sustulisse omnes excommunicationes in ordine ad Clericos, & laicos, exceptis Religiosis; vnde Principes, & superiores licitè possunt concedere licentiam agendi tauros, & Clerici in Sociis illis interesse absque peccato mortali; Religiosi autem non possunt; an vero Clerici intercellentes peccent venialiter: prima sententiâ asserit peccare venialiter, ita Villalobos tom. 2. tract. 12. diff. 12. & hoc propter indecentiam, & quia antea erat prohibitum cap. sententiâ sanguinis ne Clerici, vel monachi; secunda sententiâ asserit non peccare, si absit scandalum, & modestè assistant. Sententiâ verò Gutierrez lib. 8. quest. Canonice. cap. 7. dicentis peccare mortaliter nimis rigida est. Dicimus secundò, Religiosos incurere peccatum, si adsint, quia non absolute hoc Clement. VIII. quod est apud Pium V. & Gregorium XIII. Ita Roccaful, cui etiam adde doctm. prim.

...pium, & amicissimum Magistrum Lezanam in summa quest. regul. tom. 1. cap. 10. num. 7. & Castrum Palaum tom. 6. disp. 4. punct. 37. num. 22.

8. Sed an ista prohibitiō comprehendatur Religiosi factis Ordinibus non initiati, vel Religiosi facti, respondeo cum Machado tom. 2. libr. 5. part. 2. tract. 1. docum. 9. numer. 3. vbi sic ait; [Si esto se entienda tambien con los Religiosos, los legos y los demas que no son de orden Sacro es dudoso entre los Doctores, Rodriguez y otros afirma que si; iuzgando que los comprehende la constitucion referida de Clemente VIII. Si bien Villalobos y otros fiente lo contrario, como no interuenga escandalo; fundase, en que como consta de la Bula de Pio V. referida en ella, no citauan comprehendidos los legos, ni los demas Religiosos que no fueren de orden Sacro; y la declaracion de los demas Pontifices no les pone nueva obligacion.] Ita ille.

9. Non nego tamen sustineri etiam posse Religiosos in Sacris Ordinibus non constitutos comprehendendi in dicta prohibitione. Ratio est, quia licet à Pio V. sint exclusi; tamen à Clemente Octauo videntur comprehendendi; & ita tenet Pater Lezana vbi supra & Pellizzarius in man. Regul. t. 2. tr. 7. c. 2. sect. 3. quest. 17. num. 212.

10. Sed mihi magis placet opinio negativa, quam etiam sustinet Castrus Palaus vbi supra & ad rationem Patris Lezanae respondeo, non ob stare decretum Clementis Octauo, quia illud decretum non inducit nouam obligationem, sed quae lata erat constitutio Pij, & Gregorij aduersus Religiosos in suo robore relinquit, quocirca intelligendum est de monachis, fratribus, & Regularibus, qui Clerici sunt. Ex his à fortiori infertur moniales sub hoc decreto non comprehendi, quia nullatenus sunt Clerici Regulares.

11. Et ita ex Bonacina, & Villalobos docet Castrus Palaus vbi supra quicquid in contrarium de Monialibus asserat Avila, de cens. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 4. conclus. 6. Illud est certum nouitius sub nomine regularium in hoc decreto non comprehendendi, quia propria, & strictè non sunt regulares. Item neque equites militarium Ordinum; etiam minoribus ordinibus fuerint insigniti, quia expressè excipiuntur in dicta Bula Gregorij vt notant relati Doctores. Canonici verò Regulares, & Fratres Clerici Ordinum militarium sine dubio comprehenduntur, quia verè sunt Regulares.

12. Et tandem ad ornatu huius materiae assero, festis diebus peccatum mortale esse tauros in circo, vel in foro agitare, quia hoc prohibuit Magistratebus à Pio V. sub pena excommunicationis ipso facto incurrendae, neque derogatum est à Gregorio XIII. & à Clemente Octauo, sed potius ab illidem confirmatum.

13. Verum hanc conclusionem temperant Nauari. cap. 15. num. 16. Ludouic. Lopez in suo instructor. 1. p. cap. 70. Bonacina. d. 2. de cens. quest. 4. part. 7. num. 12. ne procedat in agitatione taurorum ita moderata, vt ex ea sequi probabiliter non possint nocumenta personalis mortis, vulneris, ossium rupturae, sicuti si praecisus cuspidibus agitentur, aut cornibus colligatis, quia cessat ratio finalis, ob quam hac constitutio lata est, nempe ob vitandas mortes ex praedicta agitatione frequenter contingentes, vt in proemio dicitur. Ex quo lumenda est ratio finalis legis, Argum. l. si ff. de hered. instituen.

14. Sed hanc limitationem cum Gutierrez non probat Castrus Palaus, vbi supra quia Gregor. XIII. agitationem taurorum permittit, prouiso per eos, ad quod spectabit, ne exinde alicuius mors quoad fieri possit sequatur; & hac permissione non obstante,

prohibet ne diebus festis agitentur. Ergo agitatio taurorum, etiam remotis periculis, diebus festis illicita est. Praeterquam quod esto ex agitatione taurorum praecisus cuspidibus, aut cornibus colligatis non adit aequale periculum, ac si cuspidibus integris liberi, & expediti agitentur; nihilominus periculum perfecte non vitatur, cum possint homines in altum leuare, & in terram proicere, pedibusque concutere. Adde agitationem taurorum diebus festiuis non tantum prohiberi ob damna, quae inde prouenire solebant vitanda quam ob honorem festorum, quae diuinis laudibus, piisque operibus, non autem huiusmodi ludis celebrari, & honorari debent.

15. Hoc autem intelligendum est, si in circo, vel foro agitentur; nam si extra forum, vel circum agitatio fiat, libera fugiendi tauris facultate relicta, non est locus huic prohibitioni; eaque de causa communiter diebus festis agitantur tauri per plateas, & calles Ciuitatis submis longis pedes, vel cornua ligati absque villo serupulo, vt tradit Nauari. cap. 15. num. 18.

Alia vero dubia circa praesentem materiam non solum in ordine ad Hispaniam, sed etiam extra illam videbis penes Bonacinam, Palaum, Auilam, & alios locis citari.

RESOL. CCXXV.

An prohibitum sit Regularibus studium iuris ciuili? Et notatur quod sufficit licentia Praelati facta Religioso ad existendum in studio, nec requiritur consensus conuentus, sed vt plurimum consilium, quod quidem non tenetur sequi. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 79.

§. 1. Respondeo affirmatiue ex cap. 2. ne Clerici, vel Monachi, lib. 6. quando principaliter Monachi, vel Clerici ius ciuile audiunt, secus autem si ad cognitionem iuris Canonici illi studio incumbunt, & ideo ferè omnes Regulares legum studio incumbentes excusari possunt, quia hoc facere possunt in ordine ad melius addicendum ius Canonicum, & ita tenent communiter DD. quos alibi citari.

Alibi in Ref. quae nunc est in tom. 5. tr. 1. Ref. 73.

2. Tantum hic obiter addam contra Sanchez in summa tom. 2. lib. 6. cap. 8. numer. 82. quod sufficit licentia Praelati facta Religioso ad existendum in studio, nec requiritur consensus Conuentus, sed vt plurimum consilium, & ita ex multis docet Hieronymus Rodriguez in compend. qq. Regular. resol. 97. num. 11.

RESOL. CCXXVI.

An Generales Regularium, possint non obstante Bulla Greg. XV. edita anno 1623. & Pribani VIII. anno 1631. praebere suis subditis licentiam legendi libros prohibitos? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 49.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Laurentius de Peyrinis in priuilegiis Minorum, tom. 1. constitut. 9. Pauli V. num. 10. Quia Pontifices supradicti, vt patet ex lectura Bullarum, loquuntur tantum de licentiis particularibus concessis ad legendos libros haereticorum, vel de haeresi suspectorum, seu aliis quomodocumque prohibitos, non autem de priuilegiis Regularibus concessis, neque his derogant. Et in omni casu suspensos, donec corrigantur, non prohibent legi ab his, qui alias habent per priuilegia

Sup. hoc in tom. 5. tr. 10. et Ref. 138. lege doctri- nam §. Nota eia & qua-uis no plene sup. hoc vide tamè in tom. 3. tr. 1. doctri- nam Ref. 84. & ex illa du-